Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31706
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

los pronuntiat. Unde domine domine nonne in nomine tuo prophetavimus et cetera. Pro-
phetat autem maxime de statu ecclesie et de israel qui post plenitudinem genti-
Cap. xxiii. um salvandus est. Balach qui eum ad maledicendum adduxit interpretatur va-
nus populus eludens sive involvens et significat diabolum qui hereticos ad perse-
quendum ecclesiam cum paganis et iudeis incitat. Nam et balaam interpretatur
vanus populus sive precipitans eos. Duxit eum ad excelsa baal id est locum illius ydo-
li. Edifica mihi vii. aras. Sic septiformem spiritum sanctum. ita legimus inmundum
spiritum vii. alios nequiores se secum assumere. Cum enim inimici ecclesie se imi-
tari eius sacrificia simulent. tamen demonibus immolant. Quod se de aran et monti-
bus orientis adductum in principio carminis dicit. situm terre ostendit. et
se per superbiam elationis venisse. ut videlicet quem deus benedixit ille maledi-
ceret. sic et heretici per superbiam audent calumpniari ecclesiam. Quod autem ad
maledicendum vocatus maledicere se non posse testatur sed benedicit. signifi-
cat ecclesie nichil nocere inimicorum suorum persecutiones sed magis prodes-
se. De summis silicibus videbo eum et reliqua. In hoc ostendit prophetie spiritu se vi-
dere que dicebat. Nam silices et colles firmas sententias prophetarum in-
telligimus per quas ille ecclesiam intuebatur. Possunt scribe et pharisei hoc
dicere conversi israel iuxta finem mundi quod tunc intelligant per scripturas propha-
rum unitatem ecclesie. Populus solus habitabit et inter gentes non
reputabitur. id est quia nulla gens talibus cerimoniis servivit. Nam et ecclesia
a ceteris paganis ritu et observatione sua longe disiuncta est. Quis di-
numerare potest pulverem multitudinis iacob et cetera. Sic abrahe in pro-
missione dictum est sic erit semen tuum sicut stelle celi et sicut harena
que est in littore maris. sed et numerum electorum deus solus scit. Mo-
riatur anima mea morte iustorum. Bene optat sed male cogitat. Non
est enim tam infidelis aliquis et malus. ut non interrogatus dicat se bene vel-
le habere. Sed si iubeatur operibus querere quod optavit. perspicitur si dictis fi-
dem adhibeat. sic et balaam in consilio dato quod voluerit ostendit. Unde par-
tem israelis videas et totum videre non possis. Non vult diabolus inimicos ec-
clesie omnia sacramenta eius comprehendere. sed semper illam studet et eius facta infa-
mare. ut sic facilius eos ad eius iniuriam provocet. Unde et dominum ihesum aliorumque
sanctorum miracula quibus contradicere non potuit. magicis artibus deputare persua-
sit. Nam et secundum litteram ideo eum ad inspiciendam partem populi duxit. ne mul-
titudine territus loqui non auderet. Non est deus quasi homo ut mentiatur et reliqua.
Queritur quomodo dicatur deum non mutari. cum de subversione niniuitarum quam